



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Exercitiorvm Spiritvalivm

Capilla, Andrés de

Coloniae, 1607

Ad primam. Exercit. 85

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53232)

derat, conseruauit, protegendo nos
& omnia ad sustentationem vitæ ne-
cessaria, ad hanc vsquē horam nobis
liberalissimè tribuendo.

Confusio.

ERubescemus, quod nos quantum
in nobis est, Christum irriferi-
mus, peccando & offendendo illum,
& vita quam ille nobis conseruat at-
que sustentat, ad suæ diuinę Maiesta-
tis offensionem vtendo.

Petitio.

ROgabimus Deum, vt virtutem
spei in nobis amplificet, qua ro-
borati & animati reliquum tempus
quod in hoc exilio nobis superest ad
seruitium ipsius impendamus, quo-
usque ad matutinum beatitudinis, v-
bi illo semper fruamur, pertinga-
mus.

Oblatio.

Oblatio eadem est quæ in præce-
denti exercitio.

AD PRIMAM.

Exercit. 85.

Matt. 27. Mane autem facto consilium inie-

YHNS

runt omnes Principes Sacerdotum, & seniores populi aduersus Iesum, vt eum morti traderent. Et vinctum adduxerunt eum & vinctum tradiderunt Pontio Pilato præfidi.

Consideratio.

CONsiderabimus, summo mane Principes Sacerdotum, & seniores populi consilium inijsse contra Iesum, & determinasse eum morti tradere: ac proinde, consignarunt illum manibus Pilati Præfidi, qui cum nullam mortis causam in eo reperiret, misit eum ad Herodem, qui cum ei allusisset, remisit eum ad Pilatum, alba veste irrisoria vestitū.

Gratiarum actio.

GRatias referemus Deo, pro omnibus quæ in hoc mysterio nostri causa passus est, & pro beneficio sanctissimæ Incarnationis ipsius, per quam homo factus & natus, tanquam sol huic mundo illuxit, & exemplo atque doctrina sua, tenebras nostras illuminauit.

Confusio.

Pudore suffundemur, cōsiderando, quod peccata nostra Passio-
nis Christi causa evterint: quodq;
cum sol iustitiæ Christus venerit, vt
illuminaret eos qui sedebant in te-
nebris & vmbra mortis, nos hanc lu-
cem sequi non curauerimus.

Petitio.

Rogabimus Deum, vt nobis lar-
giatur gratiam ipsum & proxi-
mum, pro amore ipsius diligendi, vt
verè simus filij diei & lucis, id est,
Dei, qui est amor & charitas: qui etiã
amor ipsum impulit, vt in hunc mū-
dum veniret.

Oblatio.

Eadem est, quæ in Exercitio ad
Matutinas.

AD TERTIAM.

Exercit. 80.

*Ioann. 19. Tunc ergò apprehendit Pilatus
Iesum & flagellavit, Et milites plecien-
tes coronam de spinis imposuerunt ca-
piti eius: Et veste urpurea circun-
dederunt eum, & veniebant ad eum
& dice-*